



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Jn Caput III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

## In Caput III.



*Anctum Gothardum*) Exstat vita S. Gotthardi Tom. 7. Suriij. 4. Maij, de quo lege Crāzium lib. 4. Metrop. cap. 7. Langium in Chronico Anno 1014. Fuit initio Monachus, imò & Abbas, inferioris Altahe. Vide infra diplomata S. Henrici Imperatoris.

*Quid autem Merseburgensi Ecclesia*) De instauratione Ecclesiæ Merseburgensis, & in eam meritis S. Henrici lege Ditmarum lib. 6. Chronici: Et vitam Ditmari.

*Tempore Magni Othonis*) De victoria Magni Othonis ab Vngaris reportata, Anno 955. vide vitam S. Vdalrici cap. 12. Ditm. lib. 2. Chronici. Tres Vngarorum Duces iussu Henrici Bauariæ Ducis suspensos habet V Vitichindus. Noster iste, Reges vocat; vt & editio Vrstifiana Contracti. Regulos appellat Sigebertus.

*Merseburgensis Præsul*) Merseburgensem Episcopatum fundauit Otto Magnus; voto edito, cum Vngaros ad Augustam aggressurus esset. Ditm. lib. 2. *In festiuitate Christi Martyris Laurentij, Rex solum se præ cæteris culpabilem Domino professus, atque prostratus, hoc facit lacrymis votum profusus: si Christus dignaretur sibi eo die, tanti intercessione Præconis, dare victoriam & vitam, quod in ciuitate Merseburgensi Episcopatum in honore victoris ignium construere veller.*

Episcopus Magdeburgensis primus fuit Albertus, seu Adalbertus: secundus, Orthricus: tertius Gifelerus, seu Gifelenus ex fede Merseburgensi Magdeburgum translatus: de quo hic sermo: idq; factum non ab Ottone Magno, sed à filio eius Othone II. quem perperam egisse, extinguendo Merseburgensem Episcopatum, & propterea infeliciter in Calabria cū hostibus pugnasse, S. Laurentio iniuriam sibi illatam vlciscente, scribit Auctor, qui vitam S. Adalberti scripsit apud Sur. Tom. 2. 23. April.

Lege Baron. Tom. 10.

Anno 983.

